

**Theologia Scholastica Secundum Viam Et Doctrinam D.
Thomæ Aquinatis, Doctoris Angelici**

In Celebri Archiepiscopali Benedictina Universitate Salisburgensi, methodo
& norma ibidem usitata publicè tradita, & in IV. Tomos digesta ; Qvorvm
Primvs Tractat De Deo Vno Et Trino, Deq[ue] Creatura Angelica ...

Mezger, Paul

Augustæ Vindelicorum, 1695

§. I. De extensione privilegiorum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74152](#)

aliquid esset, tunc esset judicis ordinarii: sed hujus præjudicium non est, cum delegatio ab ipso procedat, ejusque nomine exerceatur. Ita communis.

Dixi notanter, *sine expressione &c.*, nam si detur pro determinata persona, sive sit in favorem dispensatur, sive dispensandi, strictè interpretandam esse, probabilius docent Suarez I. 6. de LL. c. 17. n. 7. Sayr. to. I. c. II. n. 8. Palaothic puncto II. n. 5. tunc enim facultas dispensandi censetur virtualiter esse inchoata dispensatio, quæ est strictæ interpretationis.

12. Sed, inquis: Cùm dispensatio sit strictæ interpretationis, cur non & facultas dispensandi, cùm Potentia & facultas sit propter actum? Respondeo, dispensationem in particulari esse vulnus legis, ideoque strictè interpretandam; non vero dispensationem in communi, sub qua multæ continent bono communio, rectèque gubernationi necessaria. Unde cùm potestas dispensandi absolute data non respiciat aliquam dispensationem determinatæ, sed indeterminate quamcumque utili & necessariam pro bono communio, ideo est beneficium Reipubl. bonoque communio necessarium, ac proficuum, estque non minus ampliæ interpretationis, quam potestas ordinaria dispensandi. Hinc
13. Inferes secundò. Potestatem Episcopio concessam in Trid. Sess. 24. c. 6. de reform. eccl. latè interpretandam, quia est facultas data indefinitè pro bono communio Ecclesia, atque inclusa in corpore Juris. Palao n. 6. cum Sanch. aliisque.
14. Inferes tertio. Potestatem eligendi Confessio-
rum, qui absolvat à reservatis, vel dispenset in votis, aliusque canoniciis impedimentis, con-
cessam per Jubilæum, vel Bullam Cruciatæ, esse latè interpretandam ex duplice causa; primò, quia datur ad bonum commune Ecclesia, & sub-
veniendum publicis ipsius necessitatibus, adeò
que continet favorem Religionis, & pia cauſe.
Secundò, quia datur ad obtainendam efficacius Indulgentiam & remissionem peccatorum, quæ est purus favor, nec in juris communis, nec in illius alterius cedens præjudicium. Ita Suar. I. 6. de Voto c. 16. n. 3. Palao cit. n. 7. Petschacher de Leg. q. 8. a. 6.
- Inferes quartò. Potestatem alicui in particu-
lari, & in bonum privatum ipsius concessam,
eligendi Confessarii, qui ipsum absolvat à cen-
suri, & causis reservatis, esse strictè interpretan-
dam, quia continet exceptionem à jure communi-
o, quo omnes alii tenentur pro abolitione ac-
cedere judicem superiorem, neque amplius mili-
tat favor boni communis, religionis & pia cauſe. Ita AA. citati.
- Inferes quintò. Privilegia Religionum ali-
cui Ordini, Provincie, Monasterio sive directè
sive per communicationem concessa regulariter
habere latam interpretationem; quia sunt purus
favor, & beneficium Principis, & quidem favor
religionis & pia cauſe, quo nulli infertur injuria,
aut præjudicium à Summo Pontifice, uti ha-
bet in terminis D. Thomas in 4. dist. 17. q. 3. a. 3.
quæstiune. 5. ad 1. & in opusc. 19. contra impu-
gnatores Religion. c. 4. prope finem, & tenent
Palau tract. 3. disp. 4. puncto 10. n. 6. Azor I.
part. 5. c. 23. q. 2. Laymann I. 1. tract. 4. c. 23.
n. 6. Bordon. to. 2. resolut. 32. Salmant. hic
puncto 6. n. 86, aliisque complures.

ARTICULUS IV.

De extensione & communicatione privilegiorum.

S U M M A R I A.

1. Privilegium non extendit nisi ad casu for-
maliter, aut virtualiter expressos.
2. Similitudo, aut paritas rationis, non sufficit ad
extensionem.
3. Objectiones solvuntur.
4. Quid sit, & quot modis fiat communicatio pri-
legiorum?
5. Per communicationem non tribuitur usus, sed
jua utendi.
6. Potest extendi ad privilegia concedenda.
7. Clavis restringens quandoque impedit com-
municationem.
8. Effectus communicationis.
9. Omnes Religiose Ordines probabiliter communi-
cant in privilegiis.
10. Etiam in concedendis.
11. An privilegium unius Ordini vel loco concessum
extendatur ad omnes?
12. Ratio in contrarium.
13. Resolutio cum limitatione.
14. Concessa Officialibus unius ordinis ratione officii
communicantur Officialibus alterius Ordinis.
15. Privilegia Prelatorum non sunt communicata
inferioribus.
- R. P. Mezz. Theol. Schol. Tom. II.
16. Privilegia alicuius Religionis statui adversan-
tia illi non communicantur.
17. Privilegia derogantia juri tertii non communi-
cantur.
18. In communicatione non comprehenduntur gra-
tie prævio examine Cardinalium particulari-
ter concessa.
19. Privilegia Societatis Jesu communicantur si-
ne dependencia à Generali Ordinio.

§. I.

De extensione privilegiorum.

Dicendum primò. Privilegium non exten-
ditur, nisi ad casu & personas formaliter, aut
virtualiter in privilegio expressos. Ratio est, quod
privilegium unicè dependet à voluntate privi-
legiantis, qua non nisi verborum expressione sit
manifesta. Unde communiter dicitur, privile-
gia tantum valere, quantum sonant. Dixi ta-
men formaliter & virtualiter: nam illa dicimus
exprimi virtualiter, sine quibus privilegium inuti-
tile redderetur, nullumque commodum afferret
privilegiato; cùm igitur Princeps in privilegio inten-

intendat commodum & favorem privilegiati, etiam illa, sine quibus commodum non subsistit, expressisse censetur. Ideo privilegium concessum Sacerdoti celebrandi tempore interdicti, censetur etiam concessum ministro, sine quo non celebraretur concessum Domino etiam censetur concessum servo, sine quo Sacrum non accederet.

Dices. Privilegium nobilitatis concessum marito vel patri, etiam extenditur ad uxorem & liberos, nec tamen mariti nomine uxor, nec patris nomine comprehenduntur filii. Respondeo cum Palao punct. 12. n. 2. Hanc extensionem non fieri ex vi privilegii, quo maritus & pater nobilitantur, sed ex distincta juris dispositione, qua uxor & liberi admittuntur in participationem nobilitatis, quoties illa maritus & pater decrantur.

2. Dicendum secundò. Privilegium non extenditur ad alios in privilegio non expressis propriis similitudinē, paritatem, vel majoritatē rationis. Suarez l. 8. c. 28. n. 11. Palao, Petzschacher citari.

Ratio in primis est eadem, qua prius; quia privilegium dependet à voluntate concedentis; ergo uni potius concedatur, quam alteri, non est causa illud ad alterum extendendi. Præterea privilegium est lex privata & particularis, qua Princeps beneficium aliqui ex speciali ratione concedit: ergo tametsi sit eadem, vel effigie ratio in alio, non tamen bene infertur, quod eidem Princeps beneficium conferre voluerit. Tandem si valeret ista extensio, nihil esset in privilegiis solidum & firmum, multique etiam in vita Princeps privilegio gauderent. Ita AA. citati.

3. Objic. primò c. per venerabilem, qui filii sint legitimi: ubi Pontifex argumento à majori ad minoris probare viderit, dispensationem concessam illegitimo ad actus spirituales etiam extendit ad temporales.

Secundo in c. ex parte tua. 22. de decimis, privilegium concessum Abbatii percipiendi decimas de laboribus terræ suarum parochiarum extenditur ad novaliam. Tertiò. Privilegium dispensandi in votis etiam extenditur ad vota iurata, & facultas concessa beneficiario ad percipientes fructus in absentia, causâ studii Theologici, etiam extenditur ad absentiam causâ studii Juris Canonici.

Respondeo ad 1. illam probationem non esse ipsius Pontificis Innocentii III. sed partis sollicitantis dispensationem pro filiis illegitimis. Ad 2. Respondeo, quia novalia pertinebant ad terram Abbatis, de cuius frugibus concedebantur decimas, idcirco hæc non est extensio, sed tantum laioris privilegii interpretatio. Ad 3. eadem est responsio, quia vota iurata per accessionem voti non extrahuntur à ratione voti; unde in dispensatione voti suffcienter comprehensa intelliguntur.

§. II.

Quomodo tribuatur privilegium per communicationem?

4. C ommunicari privilegium, est, jus per privilegium concessum uni, etiam concedi alteri,

quod tripliciter fieri posse rectè advertit Palao citatus. Primò per applicationem ejusdem privilegii ad plura subjecta æque principalius. ne nova concessione: quemadmodum privilegium concessum Religiosis existentibus tempore concessionis, successive extenditur & applicatur ad alios, qui sunt membra Religionis. Secundò per extenionem ad aliqua subjecta secundari & accessoriæ: sicuti privilegium concessum domino, secundari, & accessoriæ extenditur ad servum ipsius. Utriusque privilegii haec effigie, ut illo aucto, vel diminuto respetu illius, cui primò aut principaliter est concessum, etiam auctum & diminutum censetur respectu illorum, ad quos extenditur. Tertiò proprium privilegium communicatur per novam concessionem, quando privilegium ejusdem rationis conceditur ad imitationem alterius jam prīus alteri subjecti concessi; idque re ipsa parum differt a privilegio ad instar, ante exposito. Hinc

Inferes primò, per communicationem privilegiorum non communicari usum privilegii, sed ius illo utendi; unde licet unus non utatur privilegio per communicationem pluribus concessis, nullum exinde prajudicium generatur aliis talis privilegii communicationem habentibus, ut habet Panormitanus in c. cum accessum de confess. & Sylvester verbo privilegium §. 11.

Inferes secundò. Quamvis absolute communicatione privilegiorum non extendatur ad concedenda de futuro, sed solum complectatur concessa statum, ita quod privilegium temporis communicationis inventur; tamen si hanc concedentis intentionem verba exprimant, etiam extendi ad concedenda de futuro, prout de facto omnes Religiones gaudere communicatione privilegiorum tam concessorum, quam concedendorum docent Pellizar. tract. 2. c. 1. n. 4. Joannis à Cruce l. 2. c. 4. conclus, 3. Redig controver. 3. n. 2.

Inferes tertio. Si in ipsa communicatione privilegiorum addatur clausula restringens: Ne censetur alii communicata, qui privilegio communicationis gaudent: tunc non censeri privilegium alii communicatum, nisi per speciem clausulam ejusmodi prohibitioni derogetur: quia privilegia operantur iuxta intentionem concedentis verbis expressam: atque per talam clausulam sufficienter declaratur, non fuisse intentionem Principis, hæc aut illa privilegia in specie sub generali communicatione privilegiorum comprehendendi. Et suffragatur illud vulgatum: generi per speciem derogari, & sub generali clausula non venire, quia Princeps non esset in specie verisimiliter consenserit. Petzschacher q. ultima, a. 1. §. 13.

Inferes quartò. Effectum communicationis esse primò, quod privilegium communicatur sicut æque proprium illi, cui communicatur, & qui cui erat originariæ concessum, ita uillo quilibet independenter ab altero uti possit, & si forte contingat, uni ipsorum privilegium restringi, vel omnino auferri, non ideo alteri sit restringendum, vel ablatum, sed is, cui sicut communicatum, illi secundum statum, quem habebat tempore communicationis, uti possit: quia licet privilegium communicatum in ipsa concessione & communica-